

n. 11. Barb. l. c. n. 3. Hospitalia quamvis debeant visitari ab Episcopo vigore Conc. sess. 22. c. 8. de reform. non inde tamen prohibetur, quin et Iudices saeculares eadem visitare possint, si hoc eis alias legitime competit. Sac. Congr. Conc. apud Barbosam loc. cit. n. 4. et Armendar. et Lezannam ab ipso ibi cit. Hospitalia, quae administrantur a Fratribus s. Joannis Dei non sunt exempta a jurisdictione Ordinarii, nisi solum quoad regularem observantiam. Sacra Congr. Conc. in Avellina 12. Jan. 1630 apud Barb. l. c. n. 12. et apud alios ab ipso ibi cit.

Liparen.

(Conc. Tr. C. 89. S. 22. De Ref.)

Testamento jussit Bartholomaeus Liparensis, ut post obitum Aedes suae in hospitale verterentur: Commissarios atque Exequutores et Administratores hujus pii operis elegit iisque facultatem dedit alios successive nominandi voluitque „che non si ino tentit detti miei Fideicommissarii dar conto a niuna persona di quello amministerranno etiam de negligentis commissis et male administratis, o per altra cosa quomodocumque etiam che sarebbono richiesti a dar conto dal medesimo Prelato. „Morte obita a Testatore factum fuit hospitale, nulla, ut dicitur autoritate Episcopi interveniente, sine altari, sine capella, sine aere tinnulo, sine beneficio immunitatis. Hoc hospitale numquam ab Episcopis visitatum fuit, numquam Episcopi ab Administratoribus rationes exegerunt. Qui tamen nunc Ecclesiae illi praeest Episcopus et Hospitale visitare voluit et rationes ab Administratoribus vult exigere. Obstiterunt illi et re ad hoc s. Tribunal delata auditus fuit Episcopus et nunc causa proponitur, disputantibus Exequutoribus testamentariis atque Administratoribus hospitalis

non posse Episcopum rationes administrationis exigere, quia in ipso limine foundationis Episcopus expresse excludatur, quae una limitatio est ex duabus, quae communiter dari solent dispositioni Tridentini, ut apud Barbos. de jur. eccles. univ. lib. 2. cap. 11. num. 50. et ad Concil. Trident. sess. 22. cap. 9. num. 9. Sacra haec Congregatio in responso apud de Marinis resol. jur. lib. 1. cap. 39. num. 8., et in Pientina 15. Eebr. 1607, et in Derthusen. 27. Maii 1634. Visitationi etiam locum non esse disputant iidem Exequutores testamentarii, quia res sit de opere pio mere laico neque ecclesiastica immunitate potiat; adduntque demum factum negativum omnium retro Episcoporum, qui hospitale numquam visitarunt et numquam rationes ab Administratoribus exegerunt. A Promotore fiscali nihil hactenus habuimus: Duo sunt causae capita:

I. An Hospitale s. Bartholomaei Liparen. sit omnino exemptum a visitatione Episcopi? Et quatenus affirmative,

II. An acta facta a Curia episcopali Liparensi super visitatione d. hospitalis sint delenda?

S. C. resp. ad I: Hospitale non esse exemptum a jurisdictione Episcopi quoad redditionem rationis;

ad II: Provisum in primo.

Die 9. Maii, 6. Junii et 11. Julii 1750.

In Visit. Hosp. peragenda est inquirendum:

1) An adsint erectiones, statuta, et an legitimae, an honesta et licita?

2) An infirmis subministrentur corporalia et spiritualia?

3) An reveideantur computa et administrationes?

Monacell. t. I. in append. in fine et t. IV. suppl. ad I. t. post n. 267.

In Visit. Hosp. peragenda est inquirendum de:

- 1) Porta.
- 2) Inscriptione.
- 3) Cellis.
- 4) Distinctione sexus.
- 5) Tabellis onerum.
- 6) Suppellectilibus.
- 7) Inventario.
- 8) Statutis.
- 9) Fundatione.
- 10) Privilegiis.
- 11) Indulgentiis.
- 12) Oratione 40 horarum.
- 13) Lectis.
- 14) Genere infirmorum.
- 15) Ministerio.

Gavant. Merat. t. V. p. 66. (Ed. Venet. 1823.)

52) Imaginum.

In Visit. Imag. est inquirendum:

1) An imagines SSrum exponantur in Ecclesiis adorandae priusquam ab Episcopo fuerint benedictae et approbatae?

2) An imagines SS. sint depictae in locis sordidis aut locis irreverentiae obnoxiiis, an deformatae et deturbatae? Inde enim tollendae sunt vel restaurandae et, si fieri nequit, dealbandae; leg.: *Unica*, cod. *Nemin.* lic. sign. *Salvator* etc. S. C. Ep. in Veneta 22. Maii 1696.

Signum crucis si in pavimento sculptum inveniat, inde tollatur, ne pedibus conculcetur, l. 1. c. *Nemin.* lic. sign. *Salvator* etc.

3) An imagines Jesu Chr., B. M. V., Apost. et Evang. reperiantur depictae cum habitu vel forma ab Ec-

clesia non usitata vel cum habitu regul. Si enim taliter depictae inventantur etiam in Ecclesiis exemptis, debent deleri et reformari.

Urbanus VIII. in append. 2. constit. 51.

(*Monacell. t. I. in append. in fine et t. IV. suppl. ad I. t. post n. 267.*)

53) Impedientes visitationem.

Vd.: *Visitor* (Num vim etc.)

Impedientes visitatorem a munere visitationis excommunicationem ipso jure incurrunt, si moniti non respiciant, textu expresso in *Clementina: Attendentes 2. de statu Monachor. in fine*, ibi: „Si quis vero visitationes ipsos in praemissis impedire praesumpserint seu aliquo praemissorum nisi moniti respiciant, ipso facto excommunicationis sententiam se noverint incururos, privilegiis, statutis et consuetudinibus quibuslibet in contrarium minime valituris.“

Quamvis haec excommunicatio sit latae sententiae non tamen incurritur statim ac fuerit visitationi illatum impedimentum, sed requiritur, quod visitator prius moneat impedientes, ut desistant ab illato impedimento; quod si moniti non desistant, statim incurrunt, ut clare habetur ex verbis dictae *Clementinae*: „Nisi moniti respiciant etc. Glossa in d. *Clementina Attendentes* verb.: Impedire, *Navarr.* in *Manual.* cap. 27. n. 140., *Bonacina* de censuris in particulari disp. 3. qu. 2. punct. 4. n. 4., *Tambur.* de jure Abbatissar. disp. 14. quaest. 8. n. 3., *Pellizzarius* de monialibus cap. 10. quaest. 11. n. 81., *Monacell.* tom. 3. tit. 4. annot. ad excommunicat. 2. n. 3. qui dict. tom. 3. tit. 1. formul. 39. n. 4. recte advertit., quod si impedientes canonice moniti nolint ab allato impedimento desistere, potest Epis-

copus visitator ipsos excommunicatos publice denunciare absque alia sententia, ut tradunt glossa in cit.: *Clementin verb.: Impedire* et verb.: *Ipsa facto*.

54) Indictio.

Antequam inchoetur visitatio, proponuntur edicta, in quibus episcopus debet denunciare diem suum iis, quos visitare intendit. Non enim visitandos imparatos invadere debet, nisi justa aliqua causa aliud prudenter suadeat; tum quia id maxime expedit, ut sic parochus seu rector ecclesiae visitandae possit populo denunciare diem adventus episcopi visitatoris, ad hoc ut se praeparent ad illum recipiendum. Joannes Andreas in cap.: *Cum sit romana, de Simon. Fuscus* de visitat. lib. 1. cap. 4. n. 4., *Barbosa* lib. 1. jur. eccles. univers. cap. 14. n. 36., *Ventrigl. prax.* tom. 1. annotat. 24. §. 1. n. 28 et alii passim.

Non licet tamen episcopo visitationem aggredienti proponere edicta, quibus subditi jubeantur in virtute s. obedientiae crimina detegere, multoque minus propositae poena excommunicationis, sed solum ad id enixe hortari. Sic resolutum fuisse a sacra congregatione refert ex aliis *Barbosa* de offic. et potest. episcop. part. 3. allegat. 75. n. 9. et supra concil. tridentin. sess. 6. de reform. cap. 4. tom. 10. ubi ex Aldano testatur id decisum fuisse sub die 31. Apr. 1393.

Indictio visitationis omnium ecclesiarum, monasteriorum et locorum piorum almae urbis.

Clemens VIII. Episcopus.

Servus servorum dei.

Dilectis filiis universo clero et populo romano salutem et apostolicam benedictionem.

Speculatores domus Israel, quae est ecclesia dei viventis, mirabili ejusdem providentia constituti, qui in humilitate nostra ostendere dignatus est divitias bonitatis suae, admonemur debito creditae dispensationis officio et charitate Christi urgemur, ut ministerium nostrum, divina gratia adjuvante, implere studeamus, quare in hoc ipso apostolatus nostri initio, contemplantes ex hac sublimi specula, non sine intimo doloris sensu, calamitates, incommoda populi christiani, cum ad caeteras afflictas reipubl. partes, quantum cum Domino licet, sublevandas animam adjicimus, tum potissimum ab hac Alma et Nobis maxime dilecta Urbe nostra oculos nunquam deflectimus. Sic enim intelligimus, quam Ecclesiis omnibus pastorem sollicitudinem deberemus, eam nos tanto impensius huic s. romanae ecclesiae debere, quanto Nobis propinquior et charitatis vinculis pluribus est conjuncta quam merito et in oculis et in corde et in visceribus Christi praecipuo quodam ac vere paterno affectu gerimus. Itaque non solum de ejus temporalibus commodis laboramus, sed multo magis ut par est, de ejusdem Urbis spiritualibus bonis augendis atque amplificandis solliciti sumus, quibus scilicet et humana felicitas solidius continetur et vera ac sempiterna beatitudo comparatur, quod certe dum facimus etiam aliarum ecclesiarum, quamvis illae locorum intervallo sint disjunctae, rectam administrationem eadem opera procuramus. Nam cum omnes unum corpus simus in Christo, membra cum suo capite copulata, eodem spiritu pietatis et recreari necesse est. Quemadmodum igitur stabilis illa catholicae fidei petra, adversus quam inferorum portae praevalere non possunt, divino concilio in hac urbe, quae prima sedes est, consurgit, hic beatissimi apostolorum principis Petri cathedra col-

locata, unde omnis existit ecclesiae unitas et communio, hic orthodoxae fidei integritas et sana doctrina et verus dei cultus semper viguit ac viget atque ab hac ecclesia omnium matre et magistra tamquam ab ipso fonte in alias ecclesias promanat, sic vicissimum cupimus, ut omnis ex urbe auferatur iniquitas et ut clerus et populus romanus vitae innocentia, ecclesiastica disciplina, omni denique christianae pietatis exemplo caeteris prae luceat. Illudque in primis optamus ut in religiosissimis et antiquissimis urbis basilicis nulla in divinis laudibus et precibus ab ecclesiastico ordine deo persolvendis negligentia appareat, nemo opus dei negligenter faciat, ne horribili maledictione feriatur, nulla sit divini cultus perturbatio, nulla sacrorum rituum ac caeremoniarum ignoratio aut neglectus, quin potius decor domus dei in urbis ecclesiis ubique eluceat, omniaque ordinate, decenter et religiose fiant, ut fideles populi aedificentur et glorificent patrem nostrum, qui in coelis est. Etenim, qui a communi populo segregati in loco excelso sunt positi, meminisse debent se a domino vocari sal terrae et lumen mundi, ut omnium virtutum sapore et luce populos condiant atque illustrent, ne peccatorum tunc putrescant neve sempiternae mortis tenebris obruantur; alioquin sanguis pereuntium animarum de eorum manibus a justo iudice requiretur. Quare cum fideles omnes, tum potissimum clericos, ea sanctimonia et morum integritate praeditos esse decet, ut re ipsa de eis dici possit, quod est in divinis scripturis: Genus electum, gens sancta, regale sacerdotium, de quibus et illud quoque scriptum est: Sancti estote quoniam ego sanctus sum dicit dominus, caeterum, cum eadem sit hominum quae et agrorum natura, qui nisi crebro excolantur nullum aut

perexiguum fructum faciunt magnamque spinarum copiam profundunt, contra vero si cultura et diligentia adhibetur et steriles agri saepe fructuosi evadunt et natura boni meliores et secundiores fiunt: ob eas causas jure optimo a sacris canonibus et praesertim a semota tridentino synodo tantopere commendatur episcopalis visitatio, quae veluti spiritualis quaedam cultura est populi christiani, qua divinarum rerum veneratio augetur, boni mores conservantur, pravi corriguntur, instaurantur ecclesiae, populus ad pietatem accenditur et alia complura ex visitantium zelo et prudentia ad dei gloriam et fidelium utilitatem constituuntur.

§. 1. Quae cum ita se habeant, statimus pro nostro pastoralis officio, deo bene juvante, hunc peculiarum agrum et gregem nostrum recognoscere et romanae urbis omnes, tam patriarchales quam collegiatis et parochiales ecclesias earumque capitula et personas, item monasteria, conventus et ecclesias quorumvis ordinum, tam virorum quam mulierum, hospitalia, collegia, confraternitates laicorum, montem pietatis et omnia quocumque nomine censentur loca pia per Nos Ipsos visitare. Ad hoc autem salutare opus pie sancteque exercendum atque exequendum fideles operarios nostros et adjutores delegimus, nonnullos ex venerabilibus fratribus nostris sanctae romanae ecclesiae Cardinalibus et episcopos aliquos, ut eorum consilio et adjumento, tanto fructuosius in hoc salutari visitationis officio versemur, quod certe necessario duximus suscipiendum, summi et aeterni pastoris exemplo excitati, cujus sunt illa. Ecce ego requiram oves meas et visitabo eas, sicut visitat pastor gregem suum. Et Nobis a domino dictum videtur: Intende ad visitandas omnes gentes, non miserearis omnibus, qui operantur

iniquitatem. Et alibi sapiens Nos admonetur: diligenter agnosce vultum pecoris tui tuosque greges considera. Et salvator noster boni pastoris esse ait proprias oves cognoscere et vocare nominatim. Ad laudem igitur et gloriam omnipotentis dei et sanctae romanae Ecclesiae exaltationem vobis visitationem nostram indicimus, quam proximo dominico die, qui etiam sancti Basilli optimi et sanctissimi episcopi atque ecclesiae doctoris commemoratione celebris est, in sacrosancta primaria lateranensi basilica inchoabimus et statutis diebus, deo adiutore, prosequemur.

§. 2. Omnes autem per viscera Misericordiae dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto, paterne hortamur et monemus, ut memores vocationis suae et tempus hujus sacrae visitationis agnoscentes, vitae ac morum emendatione et vera tam interiori quam exteriori reformatione visitationem nostram praeveniant quod certe libenter praestabunt si praeter caetera illud ad animum revocaverint, se esse clerum romanum, quem beatissimi apostolorum principes Petrus et Paulus instituerunt atque erudierunt, seque in ea urbe clericalis officii munera obire, quae tot fortissimorum martyrum sanguine in Christo plantata et irrigata est, in qua domicilium fidei et visibile ecclesiae caput a deo positum est, ut hinc omnes non solum doctrinae sed vitae et totius ecclesiasticae disciplinae exempla petant et bonus odor Christi ad vitam ex romana ecclesia ad omnes ecclesias diffundatur.

§. 3. Quia vero infirmitatem nostram agnoscimus et plane scimus, nihil Nos boni cogitare, nedum officere posse sine divino auxilio, idcirco ad coelestem opem implorandam, ut proxima sexta feria in nonnullis ecclesiis urbis, patriarchalibus, collegiatis et aliis

praecipuis sacrosancta eucharistia solemni ritu in altari proponatur et quadraginta horarum oratio celebretur.

§. 4. Universos autem Christi fideles in hac ipsa alma urbe existentes hortamur atque in domino requirimus ut sollicitudinem nostram suis orationibus sublevent et laborem adjuvent, quae ut ratae et efficaces sint in conspectu ejus, qui cor contritum et humiliatum non despicit, dignus poenitentiae fructibus eum placare studeamus, quem peccatis nostris ad iracundiam provocavimus.

§. 5. Quod quidem ut libentius et salutaris fiat, omnibus et singulis Christi fidelibus utriusque sexus Romae degentibus, qui eodem ipso proximo dominico die post diligentem suorum peccatorum confessionem sacram eucharistiam sumpserint, ut haec nostra visitatio ad dei gloriam et animarum salutem feliciter eveniat, pie in quavis ecclesia oraverint, plenariam peccatorum suorum indulgentiam concedimus atque elargimur.

§. 6. Omnes igitur simul, dilecti filii, sive ex clero sive ex populo, veterem hominem exuentes, in novitate vitae ambulemus nos sollicitudine non pigri spiritu ferventes, domino in toto corde serviamus et ejusdem misericordiam copiosam, cum ad hoc sanctae visitationis opus tum ad certas necessitates nostras fratrumque nostrorum bonis operibus et sedulo pietatis cultu impetremus.

Datum Romae in monte Quirinali die 8. Jun. 1592.

(Bull. r. t. III. p. 7. Ed. Luxbg.)

Indictio visitationis omnium ecclesiarum monasteriorum et locorum piorum almae urbis, necnon orationes quadraginta horarum cum indulgentiarum elargitione pro recta de visitationis directione. Et nonnullarum facultatum concessionem pro ejusdem

visitationis feliciori progressu et expeditione.

Urbanus episcopus,

Servus servorum dei.

Dilectis filiis universo clero et populo romano salutem et apostolicam benedictionem.

Militantem ecclesiam, quae vel caelestis ejus sponsi commendata praecognio progreditur aurora consurgens, in evangelicae perfectionis via subsistere non decet, sed novis semper supernae gratiae fulgoribus illustratam, ad uberiores veluti virtutum lucem ac sanctitatis decorem aequum est properare. Hac in re Nobis cogitationem defigentibus anticipaverunt vigiliis oculi nostri, ac ut ecclesiastica res majora in dies ubique suscipiat incrementa, tanto magis ad Nos pertinere intelligimus quanto in hoc rerum vertice constituti apertius agnoscimus, imperscrutabili omnipotentis dei providentia Nos fuisse acceptos pascere Jacob servum suum et Israel haereditatem suam. Quoniam vero nulla ratione fieri potest, ut in agro domini christianae virtutes feliciter servantur, nisi spinae, quae suffocant sementem patris familias, inde prius evellantur: Nos ut id facilius assequamur, eundem agrum et vineam, quam plantavit dextra ejus, diligenter repurgare nihilque eorum praetermittere decrevimus, quae corruptis moribus corrigendis sanctisque operibus, quae vel temporis injuria vel humanae naturae imbecillitate in desuetudine abierunt, restituendis opportuna esse arbitramur. Licet autem christiana respublica universa multiplici malorum genere vexetur omnibusque ejus partibus, quod maxime deplorandum est, medicina opus esse intelligamus, eam tamen almae urbis nostrae non uno nomine praecipue duximus adhibendam: quandoquidem

haec est civitas supra montem posita quae totius orbis patet obtutui: haec eadem pietatis exemplum cunctis ad imitandum propositum, primaque catholicae religionis sedes tantis divina munificentia honorum praerogativis decorata, ut vere de ea dicatur: diligit dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.

§. 1. Cum igitur haec ita se habeant, pro nostro pastoralis munere peculiarem hunc agrum et gregem nostrum recognoscere et romanae urbis tam patriarchales quam collegiatis earumque capitula necnon parochiales caeterasque alias ecclesias et personas, item monasteria, Conventus et ecclesias quorumvis ordinum regulares, tam virorum quam mulierum, hospitalia, collegia, confraternitates laicorum, montem pietatis et omnia quocumque nomine censentur, loca pia, per infrascriptos archiepiscopum et episcopos visitare statuimus. Quod quidem saluberrimum opus, etsi per Nos ipsos inchoare, prosequi et perficere vehementer optamus, nihilominus dum ad alia quam plurima eaque gravissima negotia, quorum mole assidue premimur, cogitationem convertimus aliis eam provinciam cogimus mandare. Quapropter venerabilibus fratribus Ulpiano archiepiscopo Theatino, necnon Raphaeli Zacynthensi, Octavio Caballicensi, Ludovico olim Adriano Antonio Casertano, ac Alexandro nuper Hieracensi episcopis, de quorum pietate et ecclesiasticarum rerum peritia Nobis ipsi multa possumus polliceri ad hoc munus obeundum, maturo consilio delictis ad laudem et gloriam omnipotentis dei et sanctae romanae ecclesiae exaltationem visitationem hujusmodi committimus illamque vobis omnibus indicimus, quam in proxima futura dominica in albis in sacrosancta primaria lateranensi ecclesia iidem

Archiepiscopus et Episcopi inchoabunt ac statutis diebus Deo juvante prosequantur.

§. 2. Ut autem nostram visitationem ea spiritualia commoda, quae Nos divini nominis propagationi necnon animarum saluti paterna caritate studentes et cupimus et speramus, feliciter consequantur, omnes per viscera misericordiae Dei nostri, qua visitavit nos Oriens ex alto, hortamur et monemus, ut memores vocationis suae, opportuna vitae et morum emendatione eandem visitationem praevengant. Quod quidem eos facile et libenter praestituros confidimus, si memoria repeterint, se in ea Urbe clericalis officii munera obire, quam in montibus sanctis fundatam ac sanctissimorum Martyrum sanguine respersam et irrigatam non nisi uberrimos pietatis et religionis fructus ad totius christiani orbis aedificationem beata foecunditate proferre decet.

§. 3. Quoniam autem non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est ac nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui aedificant eam, Nos infirmitatem nostram humiliter agnoscentes, ad coelestem opem implorandam, volumus ut sexta feria eandem Dominicam antecedente, in nonnullis Ecclesiis Urbis patriarchalibus, collegiatis et aliis praecipuis per dilectum filium nostrum in eadem Urbe Vicarium in spiritualibus generalibus praescribendis, sanctissimae Eucharistiae Sacramentum solemniter in altari proponatur ac quadraginta horarum oratio de more celebretur.

§. 4. Quae ut sollicitudinem nostram magis sublevet ac laborem illorum, qui hac in re vicariam Nobis operam praestituri, efficacius adjuvet, universos Christifideles in hac Alma Urbe commorantes hortamur, ut Deo,

qui cor contritum et humiliatum non despicit, dignis poenitentiae fructibus placere studeant.

§. 5. Quod quidem, ut libentius et salutaris fiat, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus Romae degentibus, qui visitatis Ecclesiis huiusmodi seu eorum aliqua eodem die ipso proximo dominico die, post diligentem peccatorum suorum confessionem s. Eucharistiam sumpserint et ut haec nostra visitatio ad Dei gloriam et animarum salutem feliciter eveniat, pie in quavis Ecclesia oraverint, plenariam omnium peccatorum indulgentiam concedimus.

§. 6. Omnes igitur simul dilecti filii sive ex Clero sive ex Populo veterem hominem exuentes in novitate spiritus ambulemus, sollicitudine non pigri spiritu ferventes Domino in toto corde serviamus, ut ejus misericordiam copiosam tum ad hoc s. visitationis opus tum ad caeteras necessitates nostras fratrumque nostrorum bonis operibus et sedulo pietatis cultu impetremus.

Datum Romae apud s. Petrum die 27. Mart. 1624.

(Bull. r. t. IV. p. 42. (Ed. Luxhg.)

Indictio visitationis apostolicae omnium Ecclesiarum et locorum piorum Almae Urbis necnon orationis quadraginta horarum cum indulgentiarum elargitione ad implorandam divinam opem pro recta visitationis huiusmodi directione.

Innocentius XII.

Dilectis Filiis universo Clero et Populo romano Salutem et apostolicam Benedictionem.

Agrum universalis Ecclesiae superna coelestis Patrisfamilias praeordinatione curae Nostrae demandatum omni

studio atque industria, quantum Nobis ex alto conceditur, custodire atque excolere jugiter satagentes, spiritualibus huius Almae Urbis Nostrae, quae propioribus charitatis vinculis Nobis conjungitur, quamque Christus Dominus tot praeclaris amoris significationibus prae caeteris dilexisse visus est, augendis promovendisque bonis peculiarem apostolici muneris nostri sollicitudinem impensius adhibere non praetermittimus.

§. 1. Cum enim sancta haec Romana Ecclesia veluti civitas supra montem posita ac supra fundamentum Apostolorum aedificata omnium in se oculos undequaque convertat, ex ea potissimum non solum doctrinae sed vitae ac virtutum omnium exempla in reliquis christiani orbis Ecclesiis, quarum Mater et Magistra est, oportet promanare. Quamvis itaque eam esse, miserante Domino, ejusdem Urbis Cleri et Populi pietatem reputemus, ut Christi bonus odor exinde in exteras quoque regiones diffundi possit, nihilominus quia post primi Parentis labem semper ad inferiora nos deprimat nostrae mortalitatis infirmitas et carnis fragilitate austerior paulatim observantia relaxatur, unde et de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere et in agro domini spinas et tribulos identidem germinare quotidiana experientia perdoceat: Memores Nos ideo in sublimi hoc apostolicae sedis fastigio constitutos, ut noxia evellamus atque utilia plantemus, nihil Nos salubrius aggredi posse cogitavimus, quam si jam usque a primis fere Ecclesiae temporibus traditum et ab ipsa sacrosancta Tridentina Synodo tantopere commendatum, quodque non minus sapienter constitutum quam re atque usu frugiferum compertum semper fuit ac salutare, pastoralis visitationis auxilium adhiberemus; qua quidem spirituali veluti

cultura et vitiorum zizania, quae suffocant sementem Patrisfamilias, eradicentur et uberius benedicente Domino electi sanctorum operum frumenti messis exurgat.

§. 2. Ut igitur divinus in Urbe praefata cultus amplificetur, ecclesiastica floreat disciplina, boni firmetur mores, corrupti corrigantur omnisque Populus in via Domini prae lucente Clero feliciter progrediatur, summi et aeterni pastoris exemplo excitati cujus illa sunt verba: Ecce ergo requiram oves meas et visitabo eas: sicut visitat Pastor gregem suum: statuimus, Deo dante, hunc peculiarem agrum et gregem nostrum recognoscere omnesque dictae urbis tam patriarchales quam collegiatis et parochiales Ecclesias earumque Capitula et personas, item monasteria, conventus et Ecclesias quorumvis ordinum, tam virorum quam mulierum, hospitalia, collegia, confraternitates laicorum, montem pietatis et omnia quocumque censentur nomine loca pia visitare.

§. 3. Porro in huiusmodi operis consortium, quippe quod tametsi per Nos ipsos illud inchoare, prosequi et perficere vehementer optaremus, nihilominus tam aliorum eorumque gravissimorum negotiorum mole, quam nostrarum virium infirmitate praepediti, absque aliorum adiutorio explere posse plane diffidimus, nonnullos ex venerabilibus Fratribus Nostris sanctae romanae Ecclesiae Cardinalibus necnon Episcopos et romanae Curiae Praelatos aliquos advocabimus, ultra alios super negotiis visitationis apostolicae Ecclesiarum et locorum piorum ejusdem Urbis auctoritate apostolica dudum institutae deputatos, quorum consilio atque opera in re tam salubri atque ardua utemur.

§. 4. Ad omnipotentis itaque Dei laudem et gloriam sanctaeque roma-

nae Ecclesiae exaltationem vobis visitationem Nostram indicimus, quam a sacrosancta primaria Lateranensi Ecclesia inchoabimus ac subinde statuendis diebus, adjuvante Domino, prosequemur.

§. 5. Universos proinde et singulos per viscera misericordiae Dei Nostri, in quibus visitavit nos Oriens ex alto, monemus et obsecramus, ut memores vocationis vestrae tempus hoc acceptabile et promovendae animarum salutis destinatum agnoscentes praeparatis corda vestra Domino vitaeque ac morum emendatione ne non bonorum operum studio visitationem nostram ita praeveniat, ut ex ea fructum centuplum exspectare possimus.

§. 6. Caeterum quia imbecillitatis Nostrae probe consilii plantare frustra ac rigare conaremur, nisi laboribus Nostris ope misericordiae suae adesse dignaretur, qui incrementum dat Deus suique super nos s. Spiritus liberali manu spargeret unctionem, ideirco ad coelestem opem concordibus votis efficacius implorandam, volumus ut proxima sexta feria in nonnullis praefatae Urbis patriarchalibus, collegiatis et aliis praecipuis Ecclesiis per dilectum filium Nostrum in eadem Urbe Vicarium in Spiritualibus Generalem praescribendis sanctissimum Eucharistiae Sacramentum solemniter in altari proponatur et quadraginta horarum oratio de more celebretur.

§. 7. Haec autem ut ferventiori Spiritus ardore majorique fructu fiant, coelestium munerum thesauros, quorum dispensationem Nobis credit Altissimus, aperire et erogare decrevimus, omnibus itaque et singulis utriusque sexus Christifidelibus Romae degentibus, qui vere poenitentes et confessi proxima die Dominicae quae erit in Septuagesima, s. communione refecti fuerint piasque in quavis Ec-

clesia ad Deum preces effuderint, ut haec Nostra Visitatio utilis sit Ecclesiae et animarum salutis, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam concedimus et elargimur.

§. 8. Agite igitur delecti filii, pastorem sollicitudinem, quam paterna charitate vobis impendimus, et hujus nostrae visitationis labores orationibus sublevate actusque vestros ita disponite, ut non in vacuum gratiam Dei recipiatis sicque ipsi per omnia placere satagite, ut non modo fides sed et s. conversatio vestra annuntiari possit in universo mundo vestrique omnium mores in faciem Ecclesiarum romanum illum Clerum ac Populum ostendant, quem beatissimus Princeps Apostolorum Petrus in christiana religione primus instituit et gentium Magister ac Doctor Paulus prae omnibus erudit et ita in omnibus honorificetur Deus, ut cum ad iudicandum venerit et scrutabitur Hierusalem in lucernis exaltet Nos in tempore visitationis ad videndum in bonitate Electorum suorum, ad laetandum in laetitia gentis suae ac laudetur cum haereditate sua in perpetuas aeternitates.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 11. Jan. 1693.

J. F. Card. Albanus.

(Bull. r. t. VII. p. 188. Ed. Luxbg.)

55) Indulgentiar.

In Visit. Ind. peragenda est inquirendum:

- 1) An publicentur absque licentia et approbatione Episcopi?
- 2) An adsint Brevia et concessionnes authenticae?
- 3) An fiant mercimonia et quaestus praetextu et occasione indulgentiarum?

Monacell. t. I. append. in fine et t. IV. suppl. ad I. t. post n. 267.

56) Initium.

Tempus incipiendae visitationis non est a jure determinatum; unde relinquitur arbitrio Episcopi, qui potest eligere tempus loco magis proportionatum. *Tusc. de visitat. lib. 1. c. 2. n. 13., Ventriglia prax. t. 2. cap. 25. et alii.*

57) Jus cui competit?

Vd.: *Visit. episcopi* (jus etc.)

Visitandi jus et potestas competit omnibus Praelatis ecclesiasticis, qui jurisdictionem ordinariam in reliquos habent, cap.: *Romana 1. §: Hanc, de censibus* in 6. Unde post romanum Pontificem jus et potestatem visitandi habent *Legati a latere ex officio legationis* sibi a Sede apostolica demandatae, cap.: *Cum Apostolus, de censibus*. Item *Legati Pontificii*, qui non sunt a latere, sed dicuntur nati, quibus Legatio apostolica competit ratione Dignitatis, in qua sunt constituti, cap.: *Cum instantia*, cap.: *Procuraciones, de censibus*.

Item *Legati apostolici, qui Missi sive Nuntii apostolici nuncupantur, si visitandi onus eis sit specialiter impositum*, vel si urgens aliqua necessitas visitationem postulet, cit. cap.: *Cum instantia*, cap.: *Procuraciones, de censibus; Tuschus de visitation. lib. 1. cap. 2.;* Item Vicarius Summi Pontificis in Territorio sibi injuncto: cap.: *Penultim. de Offic. Vicar., Tuschus* cit. lib. 1. cap. 2. n. 4.

Item *Cardinales* in Ecclesiis suorum Titulorum; Leo X. in constitut. incipiente: *Supernae* edita in Concil. Lateranens. V. sess. 9. cap. 2.

Patriarchae, Primate, Archiepiscopi et Episcopi jus ordinarium ha-

bent visitandi suas respective dioeceses; cap.: Romana 1. de censibus in 6. Concil. Tridentin. sess. 23. de reformat. cap. 3. ita ut habeant intentionem fundatam quoad jus visitandi omnes Ecclesias cujusque suae respective dioecesis, cap.: Omnes Basilicae 14. q. 7., cap.: Romana 1. de censibus in 6. et Communis Doctorum.

Item *Vicarius capitularis* Sede vacante id potest sive per se sive per alium: Item *Vicarius apostol.* Item *Vicarius collegiatae exemptae* et nullius dioecesis: *Rota* recent. apud *Ferinac.* part. 1. dec. 346., *Nicolius* verbo: *Visitatio ordinaria* n. 3.

Item *Abbatibus aliisque Praelatis habentes proprium territorium et qualitatem Nullius*; cap.: *Romana 1. §: Hanc, de censibus* in 6. cum similibus; et *Communis Doctorum*.

Item *Decani, Archidiaconi, Archipresbyteri plebani* et alii inferiores visitandi jus habent, si id longa consuetudine praescripserint; cap.: *Super eo*, et cap.: *Cum Apostolus*, de censibus, Concil. Tridentin. sess. 24. de reformat. cap. 3, ibi: „Archidiaconi autem, Decani et alii inferiores in iis Ecclesiis, ubi hactenus visitationem exercere legitime consueverunt, debeant quidem, assumpto Notario, de consensu Episcopi, deinceps per se ipsos visitare.“

Item *capitulum, superstitite adhuc Episcopo*, potest interdum ex praescriptione vel privilegio habere jus visitandi; et tunc Visitatores a capitulo deputati debent esse approbati ab Ordinario, Concil. Trident. cit. sess. 24. de reformat. cap. 3. ibi: „Visitatores etiam, a Capitulo deputati, ubi capitulum jus visitandi habet, prius ab Episcopo approbentur.“